


*Nochingerus.*

*Vladislaus  
Sigismundus  
rex Poloniarum  
et c.*

*Udvarii.  
1632.*



59

URBIS GEDANENSIS  
PLAVSVS;  
SUPER  
SERENISSIMI ET POTENTISSIMI  
PRINCIPIS,  
VLADISLAI SIGISMUNDI,  
SVECORVM, GOTHORVM ET VANDALORVM  
HEREDITARII REGIS &c.  
DOMINI NOSTRI CLEMENTISSIMI,  
*AD*  
REGNI POLONICI FASCES  
ELECTIONE;  
*DESCRIPTVS*  
ORATIONE,  
IN FREQVENTISSIMA PANEGYRI GEDANENSI,  
*ANNO M DC XXXII.*  
*DIE II XBRIS, HORA X MATVTINA,*  
PER  
JOHANNEM MOCHINGERUM  
HABITA,  
TYPIS PRODIIT RHETIANIS EDITA,  
GEDANI.

SERENISSIMO ET POTENTISSIMO  
PRINCIPI,  
VLADISLAO SIGISMUNDO,  
POLONIÆ SUECIÆQUE REGI,  
MAGNO DVCI LITHVANIÆ, RVSSIÆ,  
PRVSSIÆ, MASOVIÆ, SAMOGITIÆ, LIVONIÆ  
Ec. Ec.

VITÆ ET REGNI  
FELICITATEM ET DIVTVRNITATEM!



3134

SERE.



SERENISSIME ET POTENTISSIME  
REX,

**L**iceat mihi, per gratiosissimam Clementiam Tuam, Tibi Polonicâ Coronâ redimendo acclamare, cum populo: *Feliciter!* In quo si pecco, tantâ cum multitudine, pieq; pecco. Teneo equidem sic gentium quoq; omnium consuetudinem, quæ Regibus novis semper sunt fausta apprecari solitæ. Præcessit, SERENISSIME DOMINE, clamor Civitatis nostræ Tibi applaudentis; præcessere preces Fratrum Deo consecratorum ardentissimè & copiosissimè pro Te fusæ: jamq; item ego, silentio facto, prodeò & exclamo, quantum possum, voce elatâ: VLADISLAVO SIGISMUNDO *felicitem!* Hoc argumentum est ejus Orationis, quàm non minùs adorans Comitatem Tuam, quàm reveritus Majestatem (quorum ornamentorum nexus quò rarior, eò pulchrior est in Regibus) supplex exhibeo. Confido fore, ut probetur Tuæ Majestati pietas mea, vel Universæ potius Urbis Tibi deditissimæ & fidelissimæ. Ex cujus ingenio & animo, postquam tantos vidi audiviq; Optimatum & Universæ plebis applausus, hæc dixi. Quod eximium beneficium gratiæ & favoris Tui, nova nobis erit lætitiæ & gratulationum materia.

MAJESTATI TVÆ

*devotissimus,*

Johannes Mochingerus,



## INVITATIO AUDITORVM.

**S**Vperesse videtur, **LECTORES**, post tot argumenta publici gaudii, super Electione Domini nostri Clementissimi, ut Musæ quoq; loquantur in ludo nostro, veluti in domicilio suo, atq; theatro honestissimæ gloriæ, ubi florum lectissimorum coronam præsentem habent, Regiq; novo universæ urbis nomine applaudant. Atq; ego sanè, si inter Vates mihi locus obtigisset, exemplo Poëtarum Principis, in magno quidem instituto canentis, Sicelides Musas Helicone evocarem; ut, qvalis quantaq; fuerit super hoc argumento lætitia nostra, exprimerent, & eadē operâ simul, quàm bene de **VLADISLAO SIGISMUNDO** ominarentur, ipsæ ore suo edisfererent. Verùm isthac de re viderint laurigeri. Ego non admordi laurum. Quemadmodum fingunt, Musas dedisse Hesiodo laurum gustandam, ut, eâ commansâ, fieret vates, Nec, ut alius ex eadē familiâ cecinit præfatus:

*Fonte labra prolui Caballino,  
nec in bicipiti somniasse Parnasfo  
memini, ut repente sic Poëta prodirem,  
Heliconidasq;, pallidamq; Pyrenen  
Illis relinquo, quorum imagines lambunt  
Hederæ sequaces.*

Ad sacra Vatum affero Orationem nostram. Quamvis enim nō ignarus sim tenuitatis meæ, neq; ullis fortè, aut vix mediocribus eloquētiae præfidiis instructum me sentiam, ut tantarum cōgratulationum ardorem & concertationes valeam referre: visum tamē est, infantiam meam potius prodere, quàm silere intempestivius. Audimus enim quosvis in circulis Regi novo felicia apprecari. Turpe foret, quasi datâ operâ, esse me velle elinguem. Namq; etiam, in tantis omnium acclamationibus, ac post tot celeusmata, non difficile erit interstrepere. Non secus ac valde utiq; proclive est, si vel inexercitatus in arte canendi, multorum inter concentus, conetur sonum, & vocis suæ periculum faciat. Addo, quòd affectu me iri adjutum in re tantâ confidam: ceu Cræsi filium, Atyn, in

vocem

61

vocem quoque erupisse legimus, exclamantem, ne Pater occideretur, qui ad id imminentis periculi tempus fuisse mutus perhibetur. Quid ergo lætitia & hilaritas animo concepta non efficiat? Quæ certè homini etiam infanti, repagulis quasi remotis omnibus, verba inspirat & excutit. Scilicet, ut scitè Fabius ait: Pectus disertos facit. Neque non alienum videri posset, prolixè Regis amissi deplorassem fatum: at, in Eiusdem locum novo suffecto, Eoque Optimi Parentis Optimo Filio, ac penè eodem, SIGISMUNDO redivivo, intra silentii limites se continere, nec verbum facere. Vtrinque verò, & non vivis minùs, quàm fato functis, Regibus sunt persolvenda recordationum honorificarum tributa. Quapropter, quod felix sit fortunatumque, die Jovis proximo, horâ IXâ copiosius sum hac de re dicturus è Lycei nostri cathedrâ. Argumentum autem Orationis pium potius erit, quàm novum vel audax aut admirabile, quod scilicet non facilè alicui in mentem venisset. Namque nonnisi hortator ero ad grates, hoc electionis Regiæ nomine, persolvendas beneficentiæ divinæ. Præibo postremò verba, ut denuo ardentissimè voveamus, quò firmum, faustum, salutare atque diuturnum sit imperium VLADISLAI. Subintexam plausus nostri descriptionem, ejusque rationes aliquas. Sed auribus delicatis lenocinari mihi non est animus, neque summopere accurabo, nostra ut dictio nitear, veluti littus Erythræum gemmis refulget & unionibus. Satis erit mihi, si ipse ego cœlesti ardore inflammatus scintillas in concionem spargam, ut animi nostri succendantur ad thus gratiarum DEO debitum adolendum & suffiendum. Panegyricas Regis laudationes alii meditentur, qui, ut disertissimus Nazianzi Pontifex, Gregorius, inquit, tubas Tyrrenicas Oratione superare possunt. Nos, ut possumus, si non possumus, ut debemus, VLADISLAVUM, iterum atque iterum elogiis nostris prosequemur: sed ita, ut præsertim in laudando Regum Rege, quem ipsimet Reges nobiscum colere necesse habent, nostra ludet Oratio. Neque videri debet à sacro esse alienum Mystèra: quod ad omnes, qui Christo nomen dederunt, attinet, sic illud ab Apostolo nobis præscribente: *Adhortor itaque & præcipio ante omnia, ut pro Regibus & quibusvis in eminentiâ constitutis, omnia precum & gratiarum genera instituantur. Idque in eum finem, ut avertatur, quod impedit tranquillitatem, & semper sit locus pietati atque honestati, sub regno pacato & quieto. Hoc enim bonum est & acceptum DEO, servatori nostro.* Hucusque præcò divinus. Taceo, quòd omnium nostrum intersit illa exorare apud DEUM, quæ perstringemus. Quare adeste, quæso, & animos non secus atque aures purgatas adferre. Rempublicam Regi commendabimus: sed & hunc atque istam, DEO. Pietas Vestra, amorque novi

B

Regis,

Regis, deniq; studium Vestrum in colendis in universum Poloniae  
Regibus, quod multis observantiae & fidelitatis argumentis declara-  
rum dedistis, confidere me facit, duros Vos locum petitioni meae  
& comparituros haud gravatim: ut Vos non usq; adeo urgere vide-  
atur necesse esse. Valete, sub Rege novo felices! Scripsi, Anno à Re-  
ge universi, Christo nato 1632 VLADISLAI SIGISMVNDI.  
primo, pridie Dominicam Servatoris, Jerosolymam Regio appa-  
ratu intrantis. Valete.



ORA-



# ORATIO.

MAGNIFICI ET NOBILISSIMI DOMINI PRÆCONSVLES, SCHOLARCHÆ, SENATORES, PRVDENTISSIMI SCABINI; PATRES PATRIÆ OBSERVANDI: REVERENDI ECCLESIARVM ANTI-STITES, FRATRES SINCERE DILECTI: EXIMII DOCTORES ET MAGISTRI: CIVES ELEGANTISSIMI, JVVENES CVLTISSIMI: CONCIO VNIVERSA FLORENTISSIMA, FLOS CIVITATIS ET CORONA LECTISSIMA.



Vod ex hoc loco supplici voce apud immortalem Deum, eumq; supremum hujus Universitatis Imperatorem, efflagitavimus: ut post tenebras, quas, SIGISMUNDO occidente, sensimus, novum atq; salutare aliquod sidus illucesceret, cujus ortus, quasi novi Solis, lucem caliganti Urbi redderet & publici mœroris invisam tempestatem subitâ serenitate discuteret; impetravimus. Impretavimus, inquam, cœli munere, quodq; cum primis sermonibus atq; prædicatione omnium est celebrandum, concordibus Senatus Sarmatici & inclytæ Polonicæ Nobilitatis, voto Urbis consentientibus suffragiis, Regem ac Dominum Clementissimum, VLADISLAUM SIGISMUNDUM, heredem fastigii ac virtutum paternarum; adde, (quod certâ animi fiduciâ credimus) Patrii affectus in nos nunquam non propensissimi æmulum. Quantus ex obitu Parentis fuit conceptus dolor,

quem haud ita pridem testati sumus è cathedrâ hac atratâ:  
tantum nunc est ex imperii in Filium derivati auspiciis  
commune gaudium. Nam quod in Patre nos amisisse  
planximus: hoc in Filio nos recuperasse, bonâ spe &  
exspectatione recreamur. Eam in animis nostris obna-  
tam hilaritatem, quum permultis argumentis publicè de-  
claratam dederimus: hac voce quoq; intra præsentis hu-  
jus Musarum delubri parietes explicabimus. Testabun-  
tur illi secuturis seculis, testabitur hoc folium, quo ap-  
plausu, quanto cultu, quantâq; veneratione VLADIS-  
LAUM SIGISMUNDUM exceperimus: ante  
quem Regum nulli forsitan ex hoc loco acclamatum fuit.  
Quum enim Regi novo humanæ dignitatis apicem è tur-  
bâ quivis in circulis gratuletur: laudem omnino pari jure  
pietas nostra merebitur, si ei in hac honoratissimâ con-  
cione felicitatem, ut breviter complectar, nostrorum  
desideriorum summam, quâ turgemus, gestientis lætitiæ  
quasi grandem uterum ferentes, apprecemur. Quo  
nomine necesum etiam erit, salutem Ejusdem, quâ sa-  
lus quoq; nostra est comprehensa, Omnipotenti Regi  
commendare.

Quapropter, ut hinc velut auspiciatò exordiamur,  
Tibi, Rex Regum sempiterne, prolixas & ex intimo corde  
manantes persolvimus gratias, habituri easdem, cum  
omni consequentis ævi memoriâ, quòd preces nostras  
ratas apud Clementiam Tuam esse volueris. Acerbum  
vulnus nobis inflixeras, exempto rebus nostris Regniq;  
Universi, vel afflictis, vel multivario discrimine circum-  
vallatis, SIGISMUNDO Rege Patreq; nostro pro-  
videntissimo: Tutemet ipse verò paulò post medicas  
manus adhibuisti, &, dictamnum digito ostendens,  
VLADISLAUM SIGISMUNDUM nobis  
præ-

63

præfecisti. Quam Tuam in nos benevolentiam, si bre-  
vius & aridius, pro sermonis nostri paupertate, descri-  
bimus; Panegyrista Tuus, sceproq; lyrâq; probatus,  
de suo penu locuplete, verba nobis largietur, quibus Te  
admodum capi scimus: Sanasti plagas nostras: liberaſti  
à foveâ vitam noſtram: circumtegis nos benignitate &  
miferationibus: renovasti aquilam Polonicam, ut juve-  
nescere omnibus videatur, & virentem juventam indu-  
isse. Misericors & gratioſus es, Domine, multusq; in  
mifericordiâ. Non in æternum litigabis, aut perennis  
erit ardor iræ in nos Tuæ, nec culpis noſtris æquus pœ-  
narum numerus & modus: emicabit Clementia Tua, &  
ex indulgentiâ ſclerum noſtrorum petet lauream. Quæ  
paterna Clementia Tua ita in oculos omnium incurret, ut  
hoc cœlum, hoc diu, Ceu Patri ſatis erit leve ſupplicium  
noſtrum: imò ceu benevolo Parenti volupe erit, non of-  
fenſas tantum noſtras nobis remittere; ſed & nos novis in-  
dies beneficiis, ex cenſu patrimonioq; Tuo benevolentis-  
ſimo abundantisſimè derivatis, adobruere. Tuum hoc eſt  
in univerſas ſub Cœli ambitu gentes beneficiû, ut plebejæ  
mentes fortè cogitant, vulgare quidem, at ſanè magnifi-  
cum proſus, nec unquã à noſtrâ infantia, pro dignitate  
deprædicandum; quòd ſingulis ſuos Magiſtratus auto-  
ritate pollentes, quibus nil minùs, quàm terra Sole, ca-  
rere poſſent, ordine arcano ac ſingulari præſtituiſ. Edi-  
ferant nobis, ſi qui ſunt, quos impietas ita occœcavit,  
ut inficientur Numen Tuum: qui fiat, ut barbariſſimi  
quiq;, & ipſâ barbariâ ferociores, ſuæ homines ſortis,  
quos vulgo exemptos dignitate muniviſti, tantopere ex-  
oſculentur & colant, paratiſſimi quoq; vel fortunas vel  
ſanguinem, vel quicquid eſt carum, pro iis prodigere. Un-  
de illud quidem mentibus noſtris inſedit, mortalibus

C

qui-

quibuscunq; in Orbe universo timorem Majestatis Tuæ esse ingenitum: similiter ut splendorem, sapientiam atq; potentiam Tuam loquitur lex Solis, ab orbitâ nunquã exerrantis, Lunæq; ac cæterorum siderum ordo, totiusq; naturæ ingenium. Hæc tamen quasi coronis est Tui hujus beneficii, in quâ imprimis extollendâ nostrâ nunc laborat Oratio, quâ nonnisi charos atq; familiares Tibi populos ornas, quòd his eos Reges adsignas, quos ipse cordium scrutator unicus explorasti, & quales in rebus gerendis sint futuri, prævidisti. Quemadmodum summæ rerum, apud Hebræorum gentem, Spō. sæ adinstar Tibi adamatam, præfecisti virum, quem ais amatorio sermone secundum cor Tuum fuisse, hoc est, dilectissimum & ad animi Tui sententiam conformatum, nec nisi unum è multis. Quem filius Salomo ferè retulit, sapientiæ tamen laude etiam præstantior, ut in quibusdam aliis Patre paulò inferior. Ad quos si accesserit, quem nostris necessitatibus es largitus, ut istum pietate, atq; fortitudine bellicâ, hunc pacis & prudentiæ studio exprimat (quod à Te votis omnibus contendere audemus, & jam verò etiam esse nos nactos quasi pro persuaso habemus) novum hoc Tui in nos amoris, præter sexcenta alia longè plura, pignus erit. Sunt enim innumera Tua in nos benefacta; etsi hoc in censum non venisset, quæ junctim atq; catervatim nunc in mentem veniunt, cum tamen unicum istud solummodo meditari fuerit animus, & Oratione efferendum sumere. Idq; sive quòd quidam instinctus Tuus de ardentiori gratiarum actione nos hortetur: sive, ut oppidò opportunè admoneamur esse quasvis cogitationes nostras longè longeq; inferiores comprehendendis beneficiis Tuis, cum numero pluribus, tum magnitudine admirabilibus. Ita q; nobis in  
eorum

64

eorum pensulatione accuratiùs hærentibus, idem ferè usu venit, quòd iis hominibus, qui aciem oculorum, illustri & claro die, in Solem intendunt. Nam illi quidem igneo splendore circumfusi vident atq; confitentur, esse immensam & multò clarissimam lucem sideris illius, quod est princeps reliquorum omnium & vas verè admirabile: sed quanta sit ejus magnitudo atq; species, hebescentibus nimia claritate luminibus, neq; vident, neq; sentiunt. Similiter & nos, cùm animo atq; memorià intuemur mirifica Tua & multis fructibus efflorescentia beneficia, eorum & multitudine & magnitudine obruimur. Si apud quenquam inobscurata est recordatio Tuæ de nobis providentiæ in bello nupero, dum, eo induciis secutis dis-puncto, respirationi nostræ suo tempore consulere voluisti; certè in animo nostro perpetuà commemoratione hæret. Jam sanè valde pertæsi eramus calamitatum & accipiendarum & reddendarum, quibus Tu metam ipse unus pro voto posuisti. Hostem potentissimum, qui fortunam secum ad nutum vehere videbatur, ut aliorum victricia arma transferret, quasi manu injectâ, abduxisti. Regis SIGISMUNDI inusitatam in nos benevolentiam, Tuo arbitratu, cui ipsi Reges parère habent necesse, flexisti, ut misertus onerum nostrorum (quæ enim causa eum magis inflammasset, quàm Prusiæ & Civitatis hujus, sibi maximè charæ, sub pondere laborantis & labantis anxietas?) in induciarum leges consenserit ac paratissimum animum ad æternam pacem, re rectè legitimeq; compositâ, habuerit. Magna multaq; hæc sanè sunt, cùm ea apud animum meum pensiculo: verùm quànto magis ea pensito, tantò pernosco penitiùs, ea & Orationem meam & meditationem absorbere. Satis erit tamen Tibi, sat scio, tanto Evergetæ, ut om-

nia secula loquuntur, nos agnovisse ista. Nunc, postquam SIGISMUNDUS mortalitatis legem explevit, VLADISLAO, heredi patriarum Virtutum, salutes nostras commendasti. Quasi nos notissimo hoc indicio securos esse velle juberet, fore, ut non amisisse nos SIGISMUNDUM experturi simus, sed in filio, VLADISLAO SIGISMUNDO, Urbis Patrem redivivum, habere. Testatur enim experientia, vulgare & populo commendatissimum argumentum, parentum Te in sobole mores, mirabili atq; occulto artificio, ingenerare. Quocirca, quantumcunq; possumus, plaudimus & applaudimus Tibi, signaq;, quoad possumus, haud obscura lætitiæ liquidissimæ damus. Præstinguit quidem oculos nostros lumen vultus Tui; verum agnoscimus tamen Tuam de nobis propitiam curam, quæ vicat omnium expectationem, & castigavit meticulosas quascunq; seditiones. Solent interregna ferè Rempubliam variis casibus affligere; &, ut nox nihil moderabile suadet, ita, in interregnorum tenebris, Rege, quasi Sole, amoto, ut quisq; est audacissimus, ita graviora quæq; non veretur patrare. Nihil tale, quod sera cogitabit posteritas, nunc vidit Polonia: quieta omnia, tranquilla omnia, quasi in Regis oculis. Compescuit quosvis laudabilis & in exemplum positus Procerum rigor, aut ipsa Regis futuri, VLADISLAI, præsentia; vel, quod malumus credere & celebrare (Tibi enim tribuenda, quæ Tua sunt) Tua, quæ mentibus quocunq; flectendis imperat, reverentia. Quem tam propitium nobis Deum nî fateamur hoc nomine studiosissimè colendum esse, hymnisq; quibuscunq; extollendum, ac quibuslibet honoris significationibus prosequendum, ingratis-simi simus mortalium.

Verum,

85

Verùm, velut ab arâ, me ad Vos verto, **AUDI-  
TORES**, atq; ad eos, quicunq; solennia hæc nostra  
sunt audituri, meam converto Orationem. Nemo, in-  
quam, miretur, esse & videri nobis tam illustrem nunc  
natam super **VLA DISLAI** electione materiam fe-  
stivitat. Nam omni seculorum memoria, nationibus qui-  
buscunq; fuit proprium, Reges novos splendido pompa-  
rum apparatu & insolito acclamationum cultu, velut  
ex orientia sidera, excipere. Quid enim aliud sibi voluit,  
apud Iudæos, læta atq; clamor ista, tam tubicinibus præ-  
euntibus, qui fragore omnia replevere, quàm universo  
populo vel millies acclamante, Vivat, vivat Rex, electi  
Regis deductio: quem, non nisi boni ominis & spei de  
firmâ ac felici administratione conceptæ causâ, ad rivos  
vel fontium scaturigines perungebant? Apud quos re-  
centioribus seculis etiam receptum fuit, vel ramis vel ve-  
stibus viam sternere, ac quicquid vel ipsi Reges jusserant,  
vel plebi venerat in mentem, in Dominorum honorem,  
hujusq; amplissimam declarationem præstare. Quod  
vel ex unicâ historiâ Servatoris nostri, Optimi Maximi,  
Regiâ solemnitate Solymam intrantis paret. De eoq;  
more antiquissima ac fide dignissima Hebræorum monu-  
menta nos docent, non tacitâ interpretatione ejusdem  
arcanâ. Verùm is hodie ferè est communis gentibus  
universis; nisi quòd hac tempestate Reges Christiani  
primò & ante omnia oleo delibuti in divinis Basilicis po-  
pulo sistantur. Acclamationes autem sunt quibusvis  
eædem vel verbis, vel sensu. Qui quidem ritus omnes  
& magnarum rerum simulacra in se continent, & in pri-  
mis gaudii è re nati testificationem exhibent. Quò spe-  
ctat quoq;, in Imperatorum inaugurationibus Romano-  
rum ac Regum quorundam, Trojani bovis assatura, tum  
D vini

vini è fonticulo uberrimè fluentis liberalitas, ac deniq̄;  
aureorum & argenteorum nummorum in vulgus disper-  
sio, ut & quædam alia, quibus ad lætitiæ plausumq̄, mul-  
tudo, velut purpurâ elephantî, incenduntur. Neq̄;  
absq̄; exemplo sunt nobis usurpatæ lætitiæ significatio-  
nes, cùm campanæ perstrepuere, tormenta boarunt,  
missilia in aërem affabrè exsurgentia & miros exprimen-  
tia orbis incensa fuere, ignesq̄; excitati, & quodcunq̄;  
clamori & gaudio datum fuit reliquum. Nempe, quum  
lætitiæ ista animo concepta exsultantium clamore ho-  
minum non satis exprimi videretur: jusæ sunt campanæ  
& horrentia fistularum ora ebuccinare gaudia nostra.  
Ignes accensi studia nostra & mirificum in novum Re-  
gem apertissimè demonstravere ardorem. Atq̄;, ut ni-  
hil incultum in oculos Regios venire debet: ita quic-  
quid pro Rege ornando est institutum, artem ostentabat  
& industriâ se commendabat. Vide mihi, si lubet, co-  
ronas Regias, ut non temerè ex auro & unionibus sunt  
conflatæ; sed novo atq̄; insolito artificio distinctæ, &  
summâ lapidum omnium varietate compositè adgluti-  
natæ. Nec trabea Regia atq̄; paludamentum quomodo-  
cunq̄; picta; sed exquisito opificio, ut solent esse Phry-  
gio aut Babylonico opere confectæ texturæ, tam clara,  
quàm variegata. Taceo reliqua, quæ cum naturâ cer-  
tant. Ita sanè temerarium fuisset, inordinatis quibusdam  
struibus communem in modum succensis declarare ho-  
norem Regi præstandum (quod populo tamen ob effu-  
sum gaudium indulgeri solet) Senatus Amplissimus ar-  
tificiose confectas è pulvere pyrio machinas in fumum  
atq̄; cineres redigi curavit. Si tamen quicquam præter-  
missum videatur, quod tantæ magnitudinis lætitiæ po-  
poscit, aut ad jucundissimam istam hilaritatem magis  
decla-



66

declarandam iudices, id vel ignorasse nos, vel in aliud tempus reservasse, credas. Picas Psittacosq; Regem recensens electum salutantes, quod vetus Roma maximopere est mirata, neutiquam placuit adducere: quippe quod apud sanos istud in admirationem venire vix potuisset; quia, ut Poëta haud inelegans eleganter cecinit:

*Expedit vit Psittaco suum χαῖρε,  
Picasq; docuit nostra verba conari  
Magister artis, ingeniq; largitor,  
Venter.*

Aut, si mirum id alicui videatur, insanus sit, si credat esse serium, hoc est, à ratione & consilio quenquam colendi profectum. Quin ergò nosmet ipsi potius ex intimâ mente exclamavimus: Salve, aveq; lumen nostrum, **VLA DISLAE SIGISMUNDE**. Quemadmodum enim priscos lumen serò in sacra vel in convivia illatum excitare solebat, ut vel χαῖρε Φῶς, salve lux, dicerent; vel exclamarent, vincamus; quidni intuentes **VLA DISLAUM**, Regio splendore radiantem, ita salvere iussissemus? In divinis certè paginis Magistratus vocantur lucernæ: & à Lycei principe lumina obeliscis altè imposita. Quin opportunum videbatur, remotissimorum Thulensium consuetudinem imitari, apud quos, ut historiarū produnt annales, annis singulis continua est quadraginta omnino dierum caligo, nullis intermicantibus radiis & Sole quasi subterrâ sepulto. Cives autem, post diuturni temporis molestiam, lectos viros in montium cacumina mittere solent, ut sideris benefici primam lucem claritatemq; de longè promicantem conspicientes ad se referant, revertanturq;. Illi igitur è summis verticibus orientem Solem excipientes & suavissimâ voluptate pleni, cùm redeunt in Urbem, quasi prodromi claris-

simi luminis, civium omnium plausu maximo excipiuntur. Ita (non profectò ignota loquar) omnes hæcenus anxie hoc desiderium tenuit audiendi nova de novè electo Rege (& eum esse futurum VLADISLAUM sermo omnium perhibebat): de quibus quum nuncius advolasset ad aures nostras, gratulationes populi haud infrequentes, plaususq; fuere tam intenti, quàm qui potuerunt esse intentissimi. Communis utiq; ea vox audiebatur, profectò hoc affectu sensuq;: Salve, salve, post tenebras interregni dispulsas, lux lumenq; nostrum, VLADISLAE SIGISMUNDE.

Quanquam nescire neminem volumus, præter morem tralatitium, & aliis nos argumentis esse impulsos ad id omne genus solemnitatis peractæ. Quæ ne lateant, summâ vocis contentione proclamare audemus: Optima quæcunq; atq; applausu tanto digna nos sperare & polliceri nobis de VLADISLAO. Firmat animum nostrum bene consulta electio tot Procerum ac numerosæ nobilitatis, deniq; nostra eo in loco, quem fidelitate nostrâ, tam Regum autoritate, quàm Primorum applausu adstipulante, tantùm non jam ante duo secula obtinuimus. Quicquid autem aliis, iisq; nec indoctis nec imperitis videatur, quòd successio sit electioni longè anteponenda (cujus litis contentiosâ exagitatione nunc non lubet interturbare serenitatem festivitatis nostræ) meo judicio, magnam autoritatem electio electo conciliat, eundemq; subditis mirum in modum commendat: ne dicam, quòd unâ eademq; operâ spemq; fiduciamq; in animis eorum accendat. Succedunt quicunq;, qui Regio tantùm sunt prognati sanguine: at deliguntur, si res sit nostræ optionis (ut in nostrâ est electione) non nisi virtute condecorati. Ibi fortunæ ludibrium in infantem,  
quan-

67

quandoq; in puerum, in imbecillis animi hominem summam rerum transfert: quâ luctuosâ successione acerbius nihil. Quod si enim gubernatori navis, utcunq; præstanti, filium rudem in successionem non sufficimus, ne, quos ille servavit, iste evertat: nec Philosophiæ Scholam proximus, extincto Præceptore, sed sapientiâ simillimus excipit: cur regnandi unam artem, præceptorum plenissimam, & ex cujus erratis omnium pernicies pendet, pueris trademus? qui, si hereditatis jure habent, ut regnent, subditis eodem jure, ut pereant, relictum est. Haud difficile foret, quæ dicta sunt, exemplis communire; sed, quum obvia sint, quid opus est, vulgatisima memorare? Contrâ suffragiis eligentium vix alius renunciatur, nisi qui judicatur, quoad humanitus prospici potest, idoneus ad frena capesenda: nec nisi vir, isq; animo virili præditus, & Regiis instructus ornamentis. Si mutari mores electorum quis oggerat, ut Saulis, Neronis & Galbæ exempla testantur: audiet, homines ab hominibus eligi, quos fallere & falli ab humanitate non est alienum. At nec ii, qui succedunt, spei conceptæ semper satisfaciunt, aut perpetim insistant antecessorum vestigiis: quippe quos, cum sceptrâ arripere, haud rarò virtutum incuriosos deprehendas, propter quas ipsorum majores sunt ad regimen evecti. Neq; juvandi sunt calculo, qui ajunt, litigiosas ferè esse electiones: quas ut fateamur tales esse non semel, audiemus tamen, quid dicturi sint ad eam, qualis nostra fuit **V L A D I S L A I**. Qui quidem planè omnium voluntate & voto in Parentis locum subvectus est, ut contradicentem habuerit neminem: quasi, coelesti oraculo, citra ullius invidiam, applausu verò nullius non. Videri potest, ad hoc fastigii natum esse **V L A D I S L A - U M**. Nam nec in Poloniâ temerè disceditur à stirpe

E

masculâ,

masculâ, si qua exstat: sed, jure moreq; nostro, eligi potius debuit VLADISLAUS, ut tot haberet testimonia, quòd sibi ob virtutes Regnum debeat, quot habuit suffragia. Virtutis videlicet munus esse debuit corona; non fortunæ. Quo honore, quâ gloriâ cogitari nequit ulla præstabilior. Certè Regiâ dignitate majus est, tantæ dignationis folio ab omnibus dignum censer. Quum multi sint, qui aliorum virtutibus debent Regnum partum, non meritis suis. Juventam sanè suam, & eam, quâ ingressus est, virilem vitam ita instituit VLADISLAUS, ut speciminibus egregiis undiq; exhibitis oculos omnium in se rapuerit: quem nemo non Patri, si quid ei accidisset humanitus, diceret esse surrogandû. Adeo, velut facile fuit Apollonio Tyaneo (quem gentilitas stultè credidit Numen habere) veluti ex oraculo dicere, cum Vespasianum audiret summo mane dare operam negotiis, eaq; studiosissimè conficere; Vir iste imperabit: ita huic comparandos omnes istos divinatores autumo, qui nunc in digitos pedum se surrigunt, quòd maturè prædixerint, Regem nos habituros VLADISLAUM, quem viderunt, ista agitare animo, quibus suam Regno probaret industriâ. Prudentium atq; sapientium hominum est celeris divinatio, inquit alicubi Peripateticorû Coryphaeus. Vates tamen hos dicamus, ex veteri apud Græcos jactato versiculo, quòd optimè conjecerint. Severiam profectò & Cernihoviam, Balearidum more, occupavit partas. Quorum ea laus Balearidum circumfertur insignis, quòd nemo inter eos, quum pueri essent, alio sit cibo usus, quàm quem perticæ illigatum fundâ dejecisset. Ita jussus erat VLADISLAUS à Parente acquirere Marte proprio Ducatus Severiæ & Cernihoviæ: quos etiam cum subjugavit, Ducatum istorum & Severiensis & Cernihoviensis,

ensis, Administrator laudabiliter hucusq; audiit. Et observata sunt hæc VLADISLAI ornamenta non domitantum, sed & foris: ut & Imperator & Pontifex alium nullum SIGISMUNDO sufficiens commendarent, quam hunc ipsum. Quod uterq; tam per literas, quam per Oratores suos copiosè prolixèq; accurarunt: præcipientes, istum in modum se optimè Regni saluti pro more & amore consulere. Quorum si jungas quidem elogia suffragiis nostris, ita VLADISLAUM exornant, ut nulla corona, nec purpura, nec sceptrum Regem ullum decorare possit magis. Sed quoniam hæc publicè nota sunt, frustra iis percensendis immorer diutius.

Aliud argumentum VLADISLAO applaudendi ex ipsa re nobis occurrit. Adde enim, quod caput rei est, in electionibus locum esse divinæ virgulæ, cujus tam insignis in successione significatio non est, tum vel novâ hac ratione cum successione certare de dignitate potest electio. Fit enim in hac, ut Regnum capesat, quisquis editus est atavis, avis, aut parentibus Regibus, quod fortuitum esse, nec ultrâ æstimari scribit gravissimè gravissimus autor Tacitus: non item sanè in illâ, ubi virtutis multò potior, quam sanguinis habetur ratio. Illicq;, quod magis mireris, & rerum summarum potestas in foeminas cadit; de quibus tamen ut ingeniose ita verè non nemo:

*Apta quidem tela est, sed inepta est foemina telo:*

*Indignumq; viris subdere colla colo.*

Etsi quidam ejus jugi minimè sunt impatientes, utpote apud quos exemplum est admodum felicitis & longè præclarissimæ administrationis muliebris. Qui tamen, si sapiunt, vel non interruptam Regiæ proles masculæ seri-

riem

riem sibi apprecabuntur, vel, re & fatis aliud ferentibus, cum errore naturæ, Viras Viraginesq; tales, qualis Elisabetha fuit sexum supergressa. Quare si fiat, ut degeneres in majorum loca succedant, isto animo sunt toleranda eorum imperia, quo & sterilitas & imbres nimii, cæteraq; mala: cujus generis pharmacum laudatus autor eò propinat. Longè verò aliter atq; multò tantò melius se res in suffragatione liberâ habereprehenditur. Nutus enim ibi divini, velut rerum arcanarum certi indices, ferè observantur: ut id decantato Piasii exemplo è commentariis Polonicis deprompto docere possem, nisi alterum ex ultimâ Tyriorum vetustate gravius videretur, idq; ejus generis, quod festivam hancce panegyrim, meo animo, possit multâ jucunditate, tanquam bellum acroama, perfundere. Tyrum (ut memorat Justinus) urbem Phœniciæ multò clarissimam, inopinata servorum conspiratio oppreserat, ita, ut cuncti ad unum cum stirpe perierint liberæ fortunæ viri. Servi verò rerum potiti, uxores & filias eorum, quos perdidere, sibi jungunt matrimonio. Duo tantum ex omni civium numero, senex nempe cum filio, eoq; admodum puero, ob mite clemensq; imperium herile, servi sui operâ, cui manus parricidio contaminare religio fuit, sunt occultè servati. Cæterùm accidit, ut, cum primùm consilia de creando Rege iniri cœpta sunt, is, qui domini heriq; sui rationem habuerat, ad Stratonem (id nomen erat seni hero) rem totam detulerit. Constitutum autem erat inter servos, ut, qui eorum primus solem nascentem postridie conspicatus esset, tanquam superis Rex gratisimus consalutaretur. Itaq; monet hominem de se optimè meritum Straton, instruitq;, ut, cum cæteri in ortum oculos intendissent, ipse contrario statu murorum & ædificiorum fastigia, quæ aliquanto priùs à sole feriuntur,

69

tur, respiceret. Id quod consilii secutus, ante omnes, Soli<sup>s</sup> à se animadversum radium derepente à tergo demonstra-  
vit. Cæteris in admirationem versis ac scilicetantibus, cu-  
jus id hominis esset commentum (nam servile ut crede-  
rent, non potuerunt in animum inducere) coactus id est  
prodere, quod ab hero à se servato esset profectum, con-  
fessus. Vitâ itaq; Stratonî & filio ab omnibus concessâ,  
quem coelesti quadam providentiâ sibi esse servatum a-  
gnovere senem, in Regem constituunt, nefariæ crudelita-  
tis in heros commissæ crimen religiosâ numinis observan-  
tiâ expiantes atq; purgantes. Quod qui non videt ex  
divinâ directione accidisse, nil videt. At non obscura  
item circa electionem VLADISLAI divinæ volun-  
tatis indicia sunt palam animadversa. Quorum unum  
haud postremæ notæ quidni potissimum in luce ponamus?  
Divinum esse quis neget, quod omnium, omnium  
vota conspiraverint in VLADISLAUM, ut nec  
unum de Regno secum contendentem habuerit æmulum.  
Si annales regni vel paulisper replicare libet, inveniemus  
è vestigio, non tam planâ & securâ viâ ad solium perve-  
nisse Johannem Albertum, magni Principem animi &  
ingenii, filium Casimiri Jagelloniæ, Patris & Patroni  
illius nostri, quem piâ perenni q; memoriâ semper prose-  
quemur, beneficentissimi. Nempe, post hujus obitum,  
varia utiq; Procerum erant in Comitibus, quæ Regis cre-  
andi causâ tum Petricoviæ celebrabantur, in Regis de-  
functi filios studia. Propter ætatis prærogativam & spe-  
cimen virtutis bello Tartarico editum, Johanni isti Al-  
berto favebant pleriq;: alii tamen Alexandro, natu pro-  
ximo: pars Sigismundo juniori Regnum addicebant. Ad  
summam, variæ & validæ erant undiq; rationes: sed mo-  
tus inde acriores. Tandem verò Johannes Regnum am-  
bire

bire necesse habuit armatis pronubis, quos & ipse collegerat, & mater in præsidium, velut auxiliares copias, sum miserat; idq; demum suffragiis Procerum exambit, ut & populi foris circa comitium stantis clamore adjutus. Repetamus etiam vel leviter memoriâ (nam horret animus tacitos casus meminisse) quàm difficilis Sigismundo Parenti ad Regnum fuerit aditus. Ut verè dici possit, eum longè meliori fortunâ idem filio reliquisse, quàm ipse nactus est. Quod sanè non nisi fato fieri, nemo inficias ibit, si non qui rerum harum curâ supremum Numen tangi profanè negare audeat.

Sed ut præsens hæc in electione **V L A D I S L A I** consensio sine dubio ad divini arbitrii normam est composita: ita non destituta est humanis rationibus, quas ordine expositas vix parùm juvabit admirari. Cùm enim primò quàm optimè vellent Reipublicæ consultum Electores, nihil invenere consultius, quàm ut Parenti Filius, **SIGISMUNDO VLADISLAUS SIGISMUNDUS**, liberâ, ut præclarus atq; multorum seculorum usu firmatus mos in Poloniâ tenet, creatione sufficeretur. Attentum scilicet, & subditis fore gratum, in quorum omnium est oculis, & finitimis venerabilem, utpote quem studiosè Regno commendatum ivere, & barbaris reverendum, quos ejus tyrocinia minimè latent, hostibus autem, si qui sunt, aut (quod omen Deus avertat) sunt futuri, facile opponendum. Quin & mentem Patrum commovisse videtur defixis altè radicibus constans Polonis semper charæ stirpis Jagellonicæ reverentia, quæ non minùs iis facile comendabilem reddidit electũ, quàm quibuscunq; Polonici sagvinnis amabilem efficiunt duo ista prænomina, quibus salutatur Rex Dominusq; noster Clementissimus, **V L A D I S L A I** nempe alterum, alterum **SIGISMUNDI**.

Ita



Ita enim legimus, Regilianum, sub Imperatore Galieno, à Moësis esse dignum visum, cui sceptræ fascesq; deferrentur, quippe cui nomen esset ipsum Regificum. Cùm enim in coenâ quæsitum esset, à quam origine nomen Regiliani descenderet? ac responsum fuisset à Regno vel Rege, cujus varia esset per casus flexio, ita ut dicatur Rex, Regis, Regi, descendente inde porrò nomine Regiliani; ecce oppidò milites id ominis & nominis arripuerunt exclamaveruntq; ergò Rex esse potest, ergò regere potest: Deus ipsi Regis imposuit nomen, sit Rex noster. Neq; absimile est alterum, aut ab instituto hoc alienum, quòd Antonini nomen, ob unius illius memoriam, qui pietate suâ sibi agnomen Pii comparavit, tam carum charumq; Romanis fuerit, ut Imperatoriæ dignitati impar censeretur, qui eodem non insignitus esset nomine. Quanquam id demum Antoninus Eliogabalus ita vitiis suis collutularit, ut planè invisum esse coeperit. Quid mirum ergò è Summatibus unum vel alterum ad bona illa & fausta nomina **VLA DISLAI** & **SIGISMUNDI** respexisse: cùm talia in mentes hominum omnium nescio quâ arcanâ suavitate se insinuare facilè soleant. **VLA DISLAI** quidem nomen memoriâ aliquot Regum est celebre, ac præsertim **VLA DISLAI** Jagellonis & **VLA DISLAI** alterius Jagellonide nati, optimorum, ut uno verbo dicam, Regum. Inter **SIGISMUNDOS** autem primus eâ fuit & mentis & corporis firmitate præditus, ut illius ope & injuriarum oblivisci & adversas res nullo negotio tolerare potuerit; hujus verò, tam ferreas equorum soleas, quàm chartularum lusoriarum fasciculos levi manu discerpere. Quem excepit **SIGISMUNDUS** Augustus, longè plurimis ornamentis egregius. Post hunc secutus est, tam Henrico, quàm Ste-

phano decedentibus, **SIGISMUNDUS III.** qui nisi sibi multò simillimū filium reliquisset, sempiterno in animis nostris reliquo desiderio confici nobis contigisset. Ad quem modum nomina Regis Dominiq; nostri pensitata fuisse, non est adeo incredibile. Sed dictæ familiæ paternæ dignitatem & bonitatem vel cum primis esse spectatam, nihil est credibilius. Namq; eo nomine Pater planè quæsitus, eiq; Sueciâ advocatus, cū natum esse constaret Patre Johanne III. Rege Sveciæ & Catharinâ Jagelloniâ, **SIGISMUNDI**, filiâ. Videtur enim esse persuasum optimatibus, quicquid sit Jagellonicum, valde prodesse Reipublicæ. Et profectò à Jagellonis regno, velut ab optimo auspicio, semper aliquid accessit felicitati & amplitudini Regni Polonici. Ut minutiora non persequar: Vladislaus, familiæ caput, thesauris suis auxit ærarium Polonicum, & Lithvaniam, alterum Regni oculum, corpori inseruit. Sub Casimiro Jagellonide nos ad idem Regnum accessimus: cujus tutelam atq; patrocinium adversus Cruciferos, quòd miserè nos cruciarent, imploravimus. Sigismundo I. regnante, Prussia Orientalis, formâ Reipublicæ in Ducatum commutatâ, tota ab Imperio Romano avulsa, in clientelam Ejus concessit. Sigimundi III. industriâ, Smolenscensis Urbs recuperata: quam frustra ingentibus copiis antea obsederat Basilius, portentum hominis, nec unquam eam intrasset, nisi aureo fuisset asino vectus. A **VLADISLAO** autem, jam Rege Dominoq; nostro, Severiæ Cernihoviæq; Ducatus amplissimos & rebus affluentes omnibus esse occupatos, suprâ cum laude commemoravimus. Quid non speremus ulterius? Nimirum ut occulto crescit arbor ævo, canente Poëtâ valde bono, fixa firmiter ramosq; latè extendens: ita felicissimè valde familia Jagellonica exsurrexit;

rexit, & admodum nobili accessione auxit Poloniæ pomœria, augebitq̄; ut ominari fas est, semper. Quod quum, sicuti par fuit, pensi est habitū, nil mirum, vix difficilem fuisse deliberationem, ut ad VLADISLAUM, tanquam ad pulcherrimè efflorescentem surculum Jagellonicum Regni Patres se reciperent, inde eum fructum sperantes, qui sibi & Regno sit salutaris & utilis.

Ad ultimum autem (videtur enim me sermo præter spem in tam svavi, ut ut etiam satis gravi, argumento protractus ad finem vocare) nostri suffragii causas illas penitiores attexere necesse est, quas non nisi admodum succinctè perstringam, &, ut decet, absq̄; fuce & cerusâ. Quorsum enim aliò AA. nostri nobis vertendi fuissent & oculi & animus, quàm ad spirantem vivamq̄; SIGISMUNDI effigiem? Ejus sanè, postquam nobis est fato ereptus, semper obversata est ante oculos memoria & imago: hærebamus in consideratione bonitatis & luavitatis Ejus, quæ nunquam non ex omnibus SIGISMUNDI verbisq̄; actisq̄; eluxere. Conficientes igitur nos amissi Parentis (quem ita sæpius nominare summum fas duco, quòd eò semper sit visus collineare, quò Pater potiùs videretur, quàm Rex) admodum tristi & luctuosâ recordatione; ecce Numinis conscientiaq̄; instinctus nos ad VLADISLAUM respicere jusfit, in quo viveret SIGISMUNDUS. Nam in eum quoq̄; modum facere solere constat viduas in orbitate relictas, quæ ab intuitu liberorum, in quibus mariti lineamenta conspiciunt, doloris acerrimi ac intimis in medullis hærentis solatia quærunt. Ac cùm eo, quo Pater solebat, comi blandoq̄; vultu, quo illustravit Urbem nostram, cùm hic quondam gratus hospes fuit, ac singulari quadam vi & virtute sibi animos omnium devinxit,

vinxit, se nobis objecisset VLADISLAUS, nihil antiquius ac magis in votis habuimus, quàm ut cœlitus nobis Rex obtingeret, à quo nobis tuto polliceri possemus optima quæq; ac universæ Civitati maximè prospera. Itaq; cùm suffragio esset colendus nostro, nihil alacrius est à nobis dictum unquam, quàm VLADISLAUM nos votis omnibus optare Regem atq; Dominum. Neq; exprimere verbis facile possum, quis ille sensus animi nostri fuerit, cùm hoc vel tacitè cogitavimus, vel quo perfusi sumus, quum Amplissimi Urbis Legati (quibus de reditu tum salvo, tum Urbi optato atq; fortunato, totius Patriæ nomine meritò jureq; gratulamur) ad nos & electionem Regis exoptati retulere, & quantam nobis Rex novus spondeat benevolentiam gratiamq; Regiam, votis penè majorem. Ignosce tamen, Serenissime Rex & Domine, si hæc, quæ satis sit privatim nosse, divulgem publicè atq; commemorem, ut, quâ ratione nos Tibi adjunxeris, intelligant omnes. Ut paucis apud Te, non inscius, paucos esse apud Reges Dominosq; utendum fermone, dicam; persuasi sumus, habituros nos in Te SIGISMUNDUM, hoc est Regem Patremq; & optimum & benevolentissimum. Neq; unquam, sat scimus, nos fallat hæc tam præclara de Te concepta existimatio, cui certè perpetuò obludent ante animum SIGISMUNDI Genitoris Tui decora. Et hic quâ in nos fuerit voluntate, ignorare non potes, quòd ejus consiliis sæpe interfuisti, & lateri, quasi assiduus comes, adhæstisti. Altiùs etiam suspiciens oculos Tuos referes ad inclitam charitatem CASIMIRI Nostri; cui ante omnes debemus, quòd immunitatibus præstantibus simus ornati communitiq;. Quæ exempla tum recentia, tum vetera, etiam nobis nil monentibus, ita Te inflammabunt, ut ne  
vel

72

vel latum unguem ab istis majorem vestigiis desistas, quorum memoriam tam præclara Eorum facinora atque merita nunquam apud Urbem hanc senescere, nedum interire & exspirare sinent. Fave itaque & complectere nos benevolentiam Tuam, quos virtutibus Tuis, eorumque specimenibus ipsa Solis luce lucidioribus, ita Tibi devotos reddidisti, ut crediderimus, peccasse nos gravissimè, nisi clementiam Tuam subjecissemus bona fortunasque, & salutes nostras. Securè Tibi polliceri de nobis potes, quicquid expectari debet ab optimis paratissimisque subditis. Preces sanè civium omnium pro salute felicitateque Tuam habebis assiduas, atque in primis Deo dicatorum hominum, quorum si non tantus est in Urbe nostra numerus, atque in aliis castris, omnes tamen Tibi flagrantissimè precantur diuturnitatem vitæ imperiique felicissimam, Declararunt hoc nuper publicè satis in concionibus tam divinæ quàm Tuæ Majestati votis, quarum hæc ferè summa erat, ut sapientiam sis Salomo, felicitate Nebucadnezar, cum in divinam fuit gratiam; precibus maximè fatigato Numine, ut & Tu pulcherrimam Optimi Regis & nos similem bonorum subditorum formam exprimamus. Quibus ego ex ista familia postremus addo breve quidem, at seriò serium votum: Vive, vale, vireſce, vigesce **VLADISLAE SIGISMUNDE**, Rex inclyte, ut Te **DEUS** indies dotibus Regiis magis magisque exornet! Sis Boleslaus Audax, Miecislauſ sapiens, Casimirus Justus, Henricus Probus, Casimirus item Magnus, & Sigismundus longævus, laude denique quacunque floreas, quæ celebratur in antecessoribus atque majoribus Tuis! Similiter ad unum omnium, qui moenibus nostris continentur, fidemque constantiamque in periculis & studium in observantiam, & promptitudinem denique bonorum sanguinisque, pro Tuam Regnique incolumi-


tate, in necessitate quâlibet, & quicquid est honoris, quod Regibus debetur, polliceri Tibi potes maximè. Verbo dicam, si magnificentiores habeas inter Tuos, Tui amantiores vix habes alios.

Postremò autem omnium, ad Te, Rex Regum Optime Maxime, revertor Oratione meâ, postquam Eum contemplati satis sumus Regem, quem à muni benignitate Tuâ habemus: mecumq; ad Numen Tuum suppliciter adorandum tota se hæc concio iterum componit. Obtestamur Majestatem Tuam, & omni animi demissione rogamus, ut adesce velis ungendero coronandoq; Regi nostro. Caput Ejus orna sapientiâ, pectus prudentiâ, manus robore, conscientiam timore Tuo, animum pietate, omnia deniq; membra flore vigoreq; diuturno. Flecte voluntatem Ejus in nos, ut sit Ei grata fides atq; observantia nostra: veluti omnino est in manu Tuâ cor Regis, sicut rivi sunt in potestate aquilegum. Fac, ut ille in Regni paterni sedem est evehctus: ita paterno animo semper invigilet commodis nostris. Faxis etiam tandem, ut, cum multos annos in hoc Regno feliciter exegerit, fide fiduciaq; in merita Salvatoris unici unicâ, filij illius Tui unigenæ, æternum Regnum obtineat. Pariter autem Tibi devotâ mente commendamus Rempublicam atq; Civitatem nostram, magnâ fortunarum parte imminutam. Fatemur equidem, insigne hoc esse Urbis nostræ ornamentum, non nisi providentiæ Tuæ cœlesti, ac Regum nostrorum laudabili clementiæ adscribendum, quòd libero gaudeamus Tui cultus & præconii Evangelici exercitio: verùm adde tamen huic Tuo in nos favori, ut liberi ab insidiis & insultibus hostilibus pristinâ felicitate & quiete fruamur. Fatemur quoq; libenter & debite, si statum nostrum conferre velimus cum vicinarum Regionum ac Urbium oneribus, avara esse hæc vota nostra; & si peccata quoq; nostra sunt attendenda, quibus iram Tuam atq; pœnas justas bene sumus commeriti, audacia: licita tamen esse videntur apud Te, benevolentissimum Dominum, qui paratus es veniam dare deprecantibus, & non rarò gratiam delictorum fecisti corruptissimis. Pacem da nobis Domine. Floreat intra mœnia nostra pax aurea: pax aurifera; apexq; felicitatis Urbicæ. Procul sint à Civitate nostrâ annonæ caritas, pestis, & quicquid est lernæ malorum. Fausta sint omnia, felicia, salva atq; prospera, sub Rege Novo, Pio, Justo, Clementi, Forti, Felici. Fiat! In quo omine finio. Vestram, AUDITORES, observantiam in Regem, quam confluxu & audiendi patientiâ testati estis, Ipse approbabit, si de eâ inaudiverit quicquam: ut non opus sit meo

præconio.

D I X I.





BIBLIOTEKA KÓRNICKA

3134



ORNICKA

4

*Noch*

*Wladis*

*Sigis*

*rex Pol*

*ca*

*Wladis*

*16*